

rie est obligatio damnum temporale per grave dispendium boni superioris ordinis reparandi : at in hoc casu mulier grave incurreret dispendium boni superioris ordinis, nempe famæ suæ, proles illegitima infamaretur, imo et aliquod opprobrium in ipsum maritum redundaret, pax et concordia forte pro semper turbarentur, unde maritus ipse invitus esse posset huic revelationi : ergo 1^o. 2^o Non filio ; forsitan enim filius matri non credet, nec juxta multos credere tenetur, quia *confitenti turpitudinem suam nulla debetur fides* ; est regula juris : ex odio erga hunc et ex inordinata affectione erga alios filios agere præsumitur mulier. Aliunde, etiamsi filius illegitimus matri suæ crederet, verisimiliter hæreditati renuntiare nollet propter solum justitiæ amorem, sicque revelatio inutilis foret respectu filiorum legitimorum qui nihilominus damnum paterentur, et perniciosissima respectu illegitimi, qui deinde formaliter peccaret ac damnaretur. Ergo 2^o. Unde Innocentius III : « Mulieri quæ, ignorante marito, de » adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat » confiteri, non est pœnitentia deneganda. » Decretal. l. 5, tit. 38, cap. 9.

Diximus *ordinarie* ; quosdam enim theologi excipiunt casus in quibus mulier crimen suum manifestare debet, videlicet, 1^o si jam antea famam suam amiserit, et grave detrimentum sub illo respectu ex revelatione non timeat : si alia tamen gravia mala ipsi imminerent, adhuc a revelatione abstinere posset ; 2^o si spurium regno succedere debeat, et, propter mores perditos vel erroris amorem, religioni ac communi societatis bono futurus sit noxius, tunc mulier cum famæ suæ detrimento et aliis gravissimis incommodis turpitudinem suam manifestare tenetur, modo prudenter sperare possit spurium per hanc manifestationem a regno avertendum esse ; 3^o si mulier rationabiliter præsumat, quod difficile tamen præsumi potest, spurium sibi crediturum et hæreditati renuntiatorum esse ; infamia enim alicujus nocentis apud unum aut alterum minus malum reputatur quam grave innocentis damnum.

Quæritur 4^o utrum filius teneatur credere matri suæ ipsum illegitimum esse asserenti.

R. Communiter docent theologi illum matri credere non teneri, nisi declarationem suam evidentibus probet rationibus, v. g., ex mariti absentia, vel ex ejus impotentia ; nemo etenim in sui præjudicium credere tenetur unius etiam non suspecti testimonio, præsertim turpitudinem suam allegantis : est praxis juris. Ergo. Alii tamen dicunt spurium matri suæ credere teneri, si probæ sit fidei, conscientiæ rectæ, rem cum juramento affirmet, maxime quando in articulo mortis est constituta. Hæc sententia non est improbabilis. Si autem filius, tam ex matris suæ ejusdemque mariti confesso quam ex commercio diu in absentiam mariti publice ac certissime continuato, clare se spurium esse intelligat, certum nobis videtur illum, tuta conscientia, hæreditatem etiam per judices sibi adscriptam retinere non posse ; semper enim judices supponunt illum esse legitimum. Ergo. Ita card. *de Lugo*, d. 13, n. 62 et plures alii apud ipsum. Vide *S. Ligor*, l. 3. n. 654.

QUÆSTIO TERTIA.

De bonis famæ et honoris.

Fama, a *fando* sic dicta, est bona existimatio quæ de vita, moribus et aliis qualitatibus alicujus personæ habetur, v. g., de virtute, de ingenio, de eloquentia, de scientia, de opibus, de auctoritate, de potentia et de aliis similibus, quæ hominem efficiunt laudibus dignum. Honor est testimonium exterius bonæ illius existimationis ; testimonium autem istud ipsimet personæ per se vel per aliud præsentem exhiberi debet : sic honoratur rex non solum quando est præsens in persona, sed etiam in suo legato, in sua statua, etc. Triplici modo honor alicui personæ exhiberi potest, scilicet, per verba, illum, v. g., vocando magistrum, dominum, sanctissimum, sapientissimum ; per actiones, coram illo se inclinando, genuflectendo, obviam

illi eundo, primum locum cedendo; per res exteriores, ut statuam illi erigendo, munera offerendo, dignitates conferendo, etc. Discrimen igitur famam inter et honorem in eo potissimum consistit, quod fama sit præcipue opinio interna de perfectionibus alicujus, et honor testimonium externum de illius excellentia: fama fertur de absente, honor præsentem exhibetur; fama est simpliciter de perfectionibus et honor de excellentia, id est, de aliqua superioritate in perfectionibus.

Expenditur in Tractatu *de Decalogo* an, quale et quando infamatio sit peccatum. Nunc quærendum nobis incumbit utrum qui injuste alterum infamavit, ex justitia damnum istud reparare teneatur, quomodo illud reparare possit, et quæ causæ ab illa obligatione excusent: itaque sit

PROPOSITIO PRIMA.

Qui injuste alterum infamavit, tenetur ex justitia damnum istud reparare.

Prob. Ex infamatione sequitur 1° directe amissio famæ vel honoris; 2° indirecte aliquando quorundam amissio bonorum temporalium: atqui gravis existit obligatio hoc utriusque generis damnum reparandi.

1° Amissio famæ vel honoris est reparanda; probavimus enim restitutionem boni temporalis necessariam esse ad salutem: atqui fama et honor multo pretiosiora sunt quam bona fortunæ: ergo *a fortiori*, etc. *Est sententia communissima et certa.*

2° Adest obligatio reparandi damnum temporale quod ex diffamatione injusta sequitur: revera enim illud damnum injusto detractori imputandum est. Ergo. *Sic communiter theologi.*

Hinc qui per injustam detractionem fuit causa cur aliquis ab officio vel beneficio adepto aut adipiscendo repelleretur, cur puella conveniens non iniret matrimonium, cur famulus aut ancilla suas operas locare non posset, cur medicus, advocatus, non adhibeantur, mercator non vendat, artifex ad laborem non quærat, pauper eleemosy-

nam non obtineat, hæc omnia et alia similia reparare tenetur.

Diximus *qui injuste alterum infamavit*; si quis enim ex rationabili causa famam alterius abstulisset, nec illam, nec damna inde secuta reparare teneretur: ubi nulla est juris violatio, nulla est reparatio facienda.

Omnis autem qui efficaciter famam alterius absque legitima causa læsit, ad strictam tenetur restitutionem, juxta id quod diximus: porro non solum ii qui detrahunt, sed et ii qui in detractionem injustam positive influunt, famam alterius efficaciter lædere censentur: inde qui jubendo, consulendo, exhortando, inquirendo, alios efficaciter movent ad detrahendum, famam restituere tenentur; imo ipsi audientes, si verbis, nutibus, aut etiam aliquando silentio detractorem approbent, illumque sic ad detractionem augendam vel continuandam excitent, damnum reparandi obligationem incurrunt. Si vero interius detractione voluntarie delectarentur, hanc autem delectationem non manifestarent nec in detractionem influerent, peccarent contra charitatem, non vero contra justitiam.

Quæritur 1° utrum superior qui non impedit detractionem quam impedire posset, ipse defectu detractoris ad restitutionem teneatur.

R. Vel subditi de extraneis coram superiore detrahunt, vel de ipsis subditis detrahunt. Si superior audiat subditos de extraneis detrahentes, et eos non prohibeat, quamvis facile posset, probabilius contra justitiam non peccat; non magis enim in illo casu contra justitiam peccare videtur, quam confessarius qui penitentem de restitutione facienda non admonet: at ut probabilius admisimus confessarium contra justitiam non peccare; superior enim tenetur quidem ex officio subditos delinquentes corripere, sed non tenetur ex justitia bono extraneorum invigilare, eorumque malum avertere: ergo. Ita *Billuart*. Sed æque saltem probabile nobis videtur superiorem contra justitiam peccare, quando agitur de filiis et uxore quibus specialiter invigilare debet, propter rationem superius expositam, p. 115.

Si autem coram superiore detrahatur de ipsius subditis, sive ab aliis subditis, sive ab extraneis, ex justitia tenetur detractionem prohibere, si possit, aut restituere si eam non prohibuerit, quando ex speciali officio famam subditorum custodire debet: id sufficienter expositione patet. Tales sunt parentes respectu filiorum suorum minorum, tutores respectu pupillorum; hi enim omnibus bonis inferiorum prædictorum invigilare debent: tales sunt iterum publici magistratus, qui ex speciali officio libellos famosos proscribere debent, eorumque auctores ad reparationem famæ cogere tenentur.

Superiores vero qui temporalia bona subditorum ex officio speciali conservare non tenentur, ut sunt parochi relative ad parochianos, scholarum magistri respective ad suos discipulos, etc., ex justitia obligari nobis non videntur impedire ne de illis detrahatur, nec proinde ad restitutionem damnorum, ex hypothesi quod detractionem non prohibuerint; parochi quidem, ex justitia, providere tenentur æternæ parochianorum saluti, scholarum magistri curare debent ut discipuli scientiam vel artem edoceantur, sed neutri curam de bonis eorum temporalibus habent. Idem de pluribus aliis dicendum est. Ergo.

Hæc decisio est contra multos theologos qui docent superiores generatim ex justitia teneri subditorum infamiam prohibere.

Quæritur 2º ad quid hæredes diffamatoris teneantur, quando ipse non restituit.

R. Si ex infamiatione quædam secuta sint damna realia, ea hæredes resarcire tenentur; hæc quippe realis obligatio bona defuncti non minus afficit quam alia debita realia: atqui hæredes, juxta omnes, cuncta debita realia solvere tenentur: ergo.

Ex communi sententia, ad restitutionem famæ non tenentur; nam hæc restitutio in aliqua re præbenda non consistit, sed in aliqua actione: porro hæredes non tenentur de actionibus ad quas obligatur defunctus, ut videre est in voto jejunandi, peregrinandi, etc. Ergo.

Si tamen talis esset detractio ut fama aliqua pecuniæ

summa compensari debuisset, juxta id quod diximus cum de damno naturali in articulo de Homicidio ageretur, ad hanc summam hæredes tenerentur, quia obligatio realis esset.

PROPOSITIO SECUNDA.

Qui injuste alterum infamavit, debet, quantum in se est, malam opinionem, quam in aliorum mente impressit, delere.

Prob. In eo consistit restitutio, ut inter unum et alterum æqualitas reponatur: sed æqualitas perfecte non reponetur nisi mala opinio omnino deleatur: quantum ergo poterit, eam delere tenetur infamator.

Hinc qui falsum crimen alicui imposuit, aperte se retractare tenetur apud eos qui eum detrahentem audierunt, aut ad quos fama criminis suppositi pervenit; idque retractatione efficaci facere debet quantum potest: itaque, si non sufficiat dicere crimen esse falsum, tenebitur etiam dicere se locutum esse falsum, se calumniatorem fuisse, etc.

Qui vero crimen occultum injuste manifestavit, tenetur, si possibile est, efficere ut non credatur, dicendo, v. g., se male et inconsiderate locutum esse, se alterum injuste diffamasse, etc. Si autem his modis efficere non possit, quod apud sagaces semper contingit, ut crimen non credatur, debet pro posse malam opinionem quam injecit minuere, eum nempe quem diffamavit laudando, de illo honorifice loquendo coram eis qui detractionem audierunt aut ad quos pervenit.

Attamen communis sententia docet detractorem non teneri famam apud mediatos tantum auditores reparare, si silentium fuerit stipulatus cum iis apud quos detrahebat, aut si rationabiliter sperare potuerit fore ut aliis non revelarent; quia hæc ulterior revelatio facta est ipso invito, et alterius malitiæ vel casui fortuito tribuenda est. Si præviderit aut prævidere debuerit quod primi auditores non tacerent et crimen aliis revelarent, tenetur, defectu aliorum, reparationem apud omnes qui de illo audierunt

facere : principalis enim et primaria est totius damni causa efficax et culpabilis.

Si autem nullo modo sufficienti fama reparari possit, quod saepe evenit, detractor tenetur veniam petere et condonationem obtinere?

Probabilius videtur quod absoluta non sit obligatio hanc veniam petendi; in aliis enim injustitiis quando vera est impossibilitas restituendi, non existit obligatio veniam petendi : atqui non magis existere debet in infamia. In dubiis tamen de sufficienti restitutione vel de possibilitate plus faciendi, tutius est veniam petere et condonationem obtinere. Quando autem diffamatus ignorat sui diffamationem, vel non cognoscit diffamatorem, tunc prudentius est veniam non petere.

Idem dici non potest cum de obligatione honorem reparandi agitur; nam inhonoratio semper fit conscia persona inhonorata : si alia igitur sufficiens exhiberi non possit honoris reparatio, petenda est venia.

Modus autem sufficiens reparandi honorem ex variis pendet circumstantiis, ut ex gravitate injuriæ, ex dignitate personæ læsæ, vel personæ satisfaciens, ex consuetudine patriæ, ex usu locorum, etc.; reparatio enim honoris eo debet fieri modo quo persona læsa rationabiliter sit contenta : atqui, ex communi hominum opinione, rationabiliter non esset contenta, si prædictarum circumstantiarum ratio non haberetur : ergo.

Unde aliquando sufficit amica salutatio, si de superiore cum suo inferiore agatur; loci honorifici concessio, si offensus et offendens sint æquales; invitatio ad mensam, laudatio apud eos coram quibus honor fuit læsus; aliquando vero requiritur veniæ petitio publica vel privata prout culpa fuit publica vel occulta, quando scilicet agitur de inferioribus relative ad superiores.

Quæritur utrum et quænam sint causæ quæ a restitutione famæ vel honoris excusent.

R. Variæ afferuntur causæ quæ, ex communi theologorum sententia, a restitutione famæ vel honoris excusant.

1^a est condonatio valide facta; qui enim dominium in suam famam habet, valide consentire potest ut sibi auferatur, vel ablata non restituatur. Ergo.

Diximus *condonatio valide facta*; plures namque sunt casus in quibus bonam famam suam valide condonare non potest : 1^o si infamia ejus in aliorum diffamationem vergat, v. g., si quis talem corrupisse virginem accusaretur; 2^o si fama ad bonum publicum sit necessaria, ut est fama parochi, prælati et sacerdotis cujuslibet ministerium sacrum exercentis; 3^o si illius infamia temporale alteri damnum afferat, v. g., si filius ita diffametur ut mater ejus honestas habere non possit ancillas.

2^a causa est si fama jam alia via sit recuperata, v. g., per judicis sententiam, per rei evidentiam, per testes, etc.; tunc enim nullum existit damnum, nec proinde ulla illud reparandi obligatio. Reparari tamen debet honor personæ læsæ, si diffamationem suam noverit.

3^a causa excusans est si restitutio famæ moraliter sit impossibilis; ad impossibile namque nemo tenetur; sed in illo casu famam meliori quo fieri potest modo compensare tenetur detractor, etiam per aliquam pecuniæ summam, secundum viri prudentis æstimationem. *Est opinio communior ac probabilior*. Patet ex jam supradictis, ubi de damno naturali.

4^a est si nulla ex detractone secuta sit infamia, v. g., quia auditores fidem detrahenti non adhibuerunt, vel quia crimen jam sciebant, sive publice sit notum, sive non; nam ut quis damnum reparare teneatur, non sufficit quod intentionem illud inferendi habuerit, verum requiritur ut reipsa nocuerit. Si hac tamen narratione infamia graviter augeatur, v. g., si crimen quod antea probabile tantum reputabatur, nunc ut certum habeatur, stricta existit obligatio famam reparandi.

5^a est si restitutio fieri non possit absque damno infamatoris graviter majori; tunc enim infamatus non esset rationabiliter invitus. Hinc qui injuste alterum infamavit, non tenetur cum periculo vitæ famam ejus reparare, nisi eum in simile conjecerit periculum, aut de bono publico

agatur: tenetur tamen famam alterius reparare cum damno æquali aut etiam paulo majori, quia melior est conditio innocentis.

6^a causa est si, post deductionem injustam, crimen alia via in earundem personarum notitiam venerit; nam tunc diffamatus jus ad famam suam apud illas personas non habet aut saltem rationabiliter exigere non potest ut primus detractor eam restituat.

7^a est si crimen in plenam venerit oblivionem; nam in eo casu fama de facto restituta est, et alia restitutio fieret ipsa infamatio. Sæpius autem difficile est certo judicare an deductio sit oblita, an vero tantum sopita. Unusquisque in hac circumstantia id prudenter facere debet, quod rationabiliter pro se ipso fieri vellet.

8^a causa a restitutione famæ excusans est, ex communiore sententia, contra *Navarrum*, card. *de Lugo* et plures alios, compensatio; id est, si duo homines sese invicem jam diffamaverint, unus non tenetur famam alterius reparare, nisi propria fama ab altero sibi restituatur; qui enim famam alterius injuste læsam non vult reparare, merito haberetur ut irrationabilis si reparationem propriæ famæ exigeret. Si tamen unius infamia in aliorum detrimentum vergeret, alter illius famam reparare deberet, etiamsi propriæ famæ restitutionem obtinere non posset: alii enim qui damnum paterentur, nisi leve esset, rationabiliter forent inviti.

Diximus *sese invicem jam diffamaverint*; nam si infamia nondum illata esset, alterum infamare non liceret, præcise quia prior diffamasset; hæc enim agendi ratio nihil aliud esset quam pura vindicta, quæ semper mala est, si propria auctoritate suscipiatur. Unicuique tamen licitum est, si aliunde innocentiam suam probare nequeat, ea detegere unde injusti detractoris testimonium labefactari possit, dicendo, v. g., illum esse mendacem, perjurum, furem, si revera talis sit, quia ex illa criminis manifestatione sequitur directe propriæ famæ defensio aut recuperatio. Sed requiritur ut diffamatio ad conservandam propriam famam necessaria sit, et præterea ut sal-

tem non multo gravior sit quam fama cujus conservatio intenditur.

Queritur an debitor teneatur solvere debitum creditori de ipso injuste detrahenti, et an quis aliquid clam surripere possit maledico vel calumniatori titulo compensationis.

R. Non potest; 1^o quia sunt bona diversi ordinis; 2^o quia innumeris malis sic aperiretur via.

Notandum est illum qui, ex inadvertentia et absque culpa theologica, alterum diffamavit, teneri tamen, ex justitia, quod dixit retractare et famam reparare, si possit absque gravi incommodo: patet ex dictis in *Queritur* 5^o articuli de iis qui immediate damnum alteri inferunt, pag. 88 et 89.

QUÆSTIO QUARTA.

De bonis fortunæ.

De diversis modis quibus damnum proximo in bonis fortunæ inferri potest in Tractatu *de Decalogo* disseritur, ubi de furto et rapina. De obligatione restituendi proximo, sive ratione rei acceptæ, sive ratione injustæ damnificationis, jam in secunda parte hujus Tractatus egimus; de obligatione vero restituendi ratione contractus in speciali *de Contractibus* Tractatu dicemus: pauca igitur in præsentî quæstione dicenda nobis remanent, scilicet 1^o utrum res ob turpem causam accepta retineri possit; 2^o utrum res ob causam honestam, sed aliunde debitam, accepta reddi debeat; 3^o utrum et qualis sit obligatio ratione tributorum restituendi: de his in tribus articulis tractaturi sumus.

